

non semper hoc fieri Gen. I, 6. c. XVIII, 25. &c. ubi prolixum catalogum refert, qui facile augeri posset, si tempus terere velim in refutanda hypothese Punctatoris intentioni contraria & nemini probata. Hanc regulam ex intentione Punctatoris non esse defumtam, inde patet, quod hic *voces conjungere voluit, quæ in Musica sacra, conjunctim lecta verum sensum & affectum exprimunt.* Inde est, quod toties tres, quatuor, pluresque voces in accentuatione profaica & Metrica actu conjunctas videamus Art. p. 158. seqq. Si itaque ex inductione omnium exemplorum facienda est Regula, necesse est, ut Rhetoricam amplectamur, quia accentus sunt decoræ lectionis sacræ signa. Hæc in analysi & interpretatione codicis est verissima & universalis, nec ullam vim sensui infert. Voces enim ab interprete sunt recte construendæ, versioque exinde nata amplectenda, quæ iisdem distinctionibus & conjunctionibus legi potest, quibus hebrææ voces notatæ sunt. Vide supra exempla §. 36. Secunda Regula Frankii, quam logicam appellat p. 75. hæc est: *Distinctiones semper & ubique fieri per conceptus logicos, ut quot conceptus logici in periodo locum habeant, tot etiam distinctiones esse possint.* Sed etiam hæc regula falsa est, quia supponit distinctivos semper & ubique sensum distinguere. Contrarium ex superioribus exemplis patet, in quibus accentus distinctivi emphasin in lectione tantum indicant, & sensum non distinguunt. e. g. Jes. VII. 3. dicit Dominus ad Prophetam:

*Egredere tu, & Shear Faschub filius tuus.*

Quæ verba Fr. ita vertit: *Egredere tu & superstes liberorum tuorum, vel tu & qui superstes, Faschub filius tuus.* Aperte corrumpit nomen filii Jesaiæ ex falsa hypothese *distinctivos accentus, distinctos exhibere conceptus.* Sed ex Cl. Viri sententia — in *Shear* tantum est accentus euphonicus, decoræ & musicæ lectionis gratia additus. Vide Artem distincte legendi p. 134. Hunc sensum confirmant, 1) verba DEi, qui duas personas conjungit: *Egredere tu, & Shear Faschub filius tuus.* 2) talem sensum postulant verba Jesaiæ c. VIII, 28. ubi dixit: *Filios suos esse signa & portenta in Israël.* Hoc posito, sequitur, Jesaiam filium suum appellasse *Shear Faschub*, h. e. *reliquiæ revertentur.* Hoc nomine enim docuit, Israelitas paucos ex Babylonia esse reversuros. 3) hoc nomen convenit cum con-